

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Regiæ Fridericianæ, Christian. Thomasius, Jct.
Potentissimi Borvssia Regis Et Serenissimi Saxoniae
Ducis Mauritii Wilhelmi Consiliarius ...**

Thomasius, Christian

[Halle], [1709?]

VD18 13540645

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)



61

PRORECTOR

REGIÆ FRIDERICIANÆ

CHRISTIAN. THOMASIUS, J&.

POTENTISSIMI BORVSSIÆ REGIS ET SERENISSIMI

SAXONIÆ DUCIS MAURITII WILHELMI CONSILIARIUS

RESPECTIVE INTIMUS, PROFESSOR JURIUM

ORDINAR.

UNA CUM

PROFESSORIBUS

RELIQUIS,

CIVES ACADEMICOS

Ad

FERIAS

PENTECOSTALES,

QUIBUS EOS DECEAT OPTIMAM UNIVERSITATIS

ACADEMICÆ DIGNITATEM EX INDOLE APOSTOLICÆ

UNIVERSITATIS PRIMÆVA DERIVARE,

Celebrandas fideliter,

OMNES AC SINGULOS PIE HORTATUR

ATQUE INVITAT.



PENTECOSTALE FESTUM est sanctissimum *Universitatis Festum* ab initio. Ipse Dominus omnium JESUS CHRISTUS, mortis & interni victor ac domitor gloriosissimus, in diem illum quinquagesimum, tanquam *inauguralem*, universa spei Christianæ miracula, palam enuncianda, stupendisque confirmanda signis atque operibus, reservabat. In die hoc ipso concitabat totam generis humani universitatem, eamque compellebat in unam domum Hierosolymitanam; *Parthos, & Medos, & Elamitas, & inhabitantes Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Egyptum, & partes Libyæ, quæ juxta Cyrenem, & advenas Romanos, Cretesque & Arabes.* Hic nempe universitatis concursus, documenti instar erat, ex quo animadverteretur, ineffabile cornu copiarum donorum cœlestium, quod de cœlo effundebatur in omnium conspectu, non tantum ad hos illosve, neque ad
ad

ad Judæos solos pertinere aut Græcos, verum adeo in universum offerri cunētis, ut & omnium & singulorum excludi nemo deberet. Ita enim Apostolorum princeps Act. II, 39. *Vestra est promissio, & liberorum vestrorum, & omnium, qui procul, quotquot advocaturus est Dominus Deus noster.*

Vos, CIVES ACADEMICÆ UNIVERSITATIS! vos in divinum illud spectaculum intime intueri, vestrarumque partium rationem maxime propriam, tanquam in speculo, contemplari hodie, amantissime jubemus.

Neque vero id agimus jam, ut eripiamus cæteris, quod nullis non dedimus ultro! Sic omnino conditus homo fuerat, ut unusquisque vivum esset habitaculum Spiritus sancti, nec quisquam filiorum Adami usquam aut unquam daretur, qui non lucidissimam admirandæ Trinitatis imaginem, toto corporis ac spiritus habitu, innumeris cœli dotibus plenissimo referret. Hujus primævi status primitias spondet singulis, singulis orbis terrarum incolis, religio ista Pentecostalis denuo. Posteaquam enim Mediator, Deum inter & homines unus, pro omnibus *unctus Spiritu Sancto & virtute* est Act. X, 38. ideo, ut *Ipsius ex plenitudine omnes reciperent istam gratiam* Joh. I, 16. *promissione in Sancti Spiritus, consecutus a Patre, effudit ipse tum solenniter, ab universis & conspiciendam & audiendam, Act. II, 33 nec non recuperandam ab iis atque acceptandam una v. 38.* Itaque minime ullus gentium habendus erit tam abjectæ sortis, cujus loco Filius Dei in judicio æterno *factus non sit maledictio*, ut quilibet

in Christo JESU, tanquam suo, benedictionem Abrahami
assequeretur, hoc est, promissionem Spiritus suam sciret
per fidem ac capefferet. Gal. III, 13, 14.

Nec tamen non cogitabitis forte, CIVES in CHRI-
STO dilectissimi: Quid agitis autem, Academici Pa-
tres! quod bona Pentecostalia, quæ populorum undi-
quaque omnium multitudini universæ communia esse
Deus voluit, Universitatibus Academicis, portioni il-
lius paucis in locis tenuissimæ, quasi propriam desi-
gnatis & proponitis?

Audite nos, CHARISSIMI! Vos estis *sal terra*
Matth. V, 13. vos estis publici agricolæ,

*quos fortunatos nimium, sua si bona
norint,*

merito appellamus; audite vestram, quæsumus, præ-
rogativam. Quodsi Universitas Academica in eo ver-
satur, ut alumni, seu membra ejus, organa & instru-
menta fiant, per quæ salus cœlestis atque terrestris
omnium terrarum civibus tradatur: ecce! opus est, ut
præter hos illis primum, ceu futuris sapientiæ divinæ
& humanæ ministris, dona, ad tantum opus necessaria,
divinitus sint destinata. Non alio sensu dicebat Domi-
nus ad Ananiam de Paulo: *Vas electionis mihi est hic,*
ut portet nomen meum ante gentes, & Reges, & filios
Israëlis. Act. IX, 15. Quemadmodum proinde concio
prima Pentecostalis vasa electionis plurima reddebat,
quorum sonus & verba exiverunt in omnem terram, i-
psosque in fines orbis terrarum Rom. X, 18. sic etiam in
Academicis societatibus præcipuum Apostolicæ uni-
ver-

verſitatis ſimulacrum his diebus exiſtit, eſſe certe in
iis, utpote Chriſtianis, debet; unde prodeant *pulchri
pedes annunciantium pacem, annunciantium bona* quæli-
bet ex Dei gratia v. 15. Quam felices propterea cives
erunt Academiæ univerſi, modo præparari ſe ſi-
nant *integros Dei homines, adaptatos inſtructosque* opti-
me ad OMNE OPUS BONUM 2. Tim. III, 17. juxta quam-
vis Academicam facultatem!

Fuit quondam ea ſeculorum infelicitas, ut *Spiritus
Sancti charismata* ſolis ſacerdotibus & Eccleſiaſticis per-
ſonis tranſcriberent, officia autem *Politica, Oeconomica
& Artificialia*, corruptis naturæ viribus metirentur.
Quid hoc aliud, quam in æde quidem aliquid lucis admit-
tere, ſed, extra illam, ſolem in mundo non pati, ſed o-
mnem Rerum publicarum politicam tenebris ſubmerge-
re? Quamobrem B. Lutherus beneficium majus huma-
nis rebus attulit, ac ſi quis ſolare fidus mortalium oculis
ſublatus reſtitueret; quando is primus omnium, poſt
caliginem Scholaſticam, cœpit iterum docere, quod de
nulla re dignis modis judicare poſſit homo, niſi ipſa
Spiritus divini gratiâ efficaciter colluſtratur: de qua
doctrinæ Chriſtianæ parte, præter alia ejusdem ſcripta,
incomparabilis in Epistolam Pauli ad Galatas commen-
tarius paſſim agit, lectoremque admonens, in conſen-
ſum trahit, atque convincit. Quomodo hæc non tantum
Novi, ſed etiam Teſtamenti Veteris ſententia fuerit con-
ſtantiffima, liber Sapientiæ valde ſapienter docet cap. VII.
& inter alia cap. IX. eam confirmat his verbis: *Licet quis
ſit perfectus in filiis hominum; ſi abſuerit ea, quæ a Te eſt, ſa-
pientia, pro nihilo reputandus eſt.*

iii Videte exin, SAPIENTIAE STUDIOSI! quan-
topere in cœtu vestro aberrant a dignitate sua emin-
tissima, qua coram Deo atque electis Angelis vos omnes
singulosque uti atque frui oportebat; videte, quam in-
dignos suis se juribus gerant, suæque eximiae Universi-
tatis vivant immemores. quicunque vestrûm solitudi-
nem nullam agitant de donis verè cœlestibus obtinendis,
quorum causâ impetrandorum alii in alias, vos certe in
hancce Universitatem nostram, divina providentia, vo-
cati estis. Vocatione hac vestra si vos putare dignos
volueritis, ex ea estis, en! designati vos, qui deportetis
gratiam cœli multiplicem, tanquam angeli beatissimi, ad
sortem humanæ gentis innumeris generibus constan-
tem, siye Ecclesiæ vos, siye Magistratuum Ministri, siye
opis Medicæ Doctores, siye artium Magistri evadatis; si
tantummodo unum id præstetis fideliter ante omnia, ut
ipsi *Pentecostalis sanctissimæ Universitatis* in Academia
veri asseclæ fueritis, *super quibus possit quiescere spiritus Je-*
hovæ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii &
virtutis, spiritus scientiæ & timoris Jehovæ Esa, XI, 2. O vos
terque quaterque beatos, ita si ex Universitate Academi-
ca in hujus mundi universitatem, veluti oves in commu-
nionem luporum, nec minus velut milites, ad certan-
dum maturi, transeat! 11

Consultate nobiscum, si matrem vestram haud re-
pudiatis sapientiam! Considerate pristinæ Universi-
tatis Pentecostalis homines diversissimos, ut secernere
vobis liceat, quorum simillimus sit quisque vestrûm, quo-
rumque in consortium venire malit. Erant primum
obstupefcentes quidem omnes; at mox, alii *irridentes*, se
ipfos

ipſos decipiebant, fingentes, Apoſtolos impletos muſto eſſe; alii vero *compuncti corde* ſuo, conſilium quærentes. Act. II, 12, 13. 37. Reputate, quàm in Academiis ſtolidi ſint plurimi ac ſocordēs, quos horum ſacrorum ne admirationo quidem tangit ampliùs, prima illa pulſatio Chriſti ad cordis oſtium. Mirantur vana: ſancta ſuſque deque habent. Quis non miretur hanc amentiam! Judicate, quid de irriſoribus priſcis Pentecoſtalibus nunc cenſendum ſit. Ecquis jam non agnoſcit eos ſtultiſſimos, qui & ſibi & ſui ſimilibus ſagaciſſimi tunc videbantur? Cogitate id, quod res eſt, de illuſionibus hodiernis, quibus ſanctimoniam multi adhuc perſequuntur; & quid pariter his cum illis eventurum ſit in iudicio extremo, in libro Sapientiæ cap. IV. V. ſi vultis, ſi ſapitis, prudentes legite. Ita vero nequaquam aliter ſentire potueritis, quàm quòd ipſo conſcientiæ ductu aggregemini in eorum numerum, qui compungebantur ſubmiſſo corde ad interrogandum ſolicite: QUID FACIAMVS? Eia ergo ſuſcipite paternum conſilium noſtrum ex ore Apoſtoli, cum quo reſpondemus vobis: *Pœnitentiam agite, & baptiſmi fœdus inſtauret quilibet veſtrum ſuper nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum: tum accipietis donum Sancti Spiritus.* Act. II, 38. Hoc etenim dono qui deſtituuntur, ſive ſint *Nobiles* ac *Politici*, ſeu *Medicinæ*, ſeu *Philoſophiæ* & *Theologiæ* additi, quam diu deſtituuntur eo, licet

fungantur vice cotis, acutum

Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi; licet videantur aliquid conſequi in ſtudiis, & diſcendis, & ad uſum applicandis; tamen non aſſequuntur veram ac primariam

am

am vocationis suæ indolem, neque ut divinum pondus
ex Christi spiritu ad dispensandum ipsi adhibeant 1. Petr.
IV, 10. neque ut Christi militum, atque universitatis
doctorum justitiæ, coronam reportent aliquando.
2. Tim. II, 3. 5. Dan. XII, 3. Tandem hujusmodi cotes,
quamvis acutos reddiderint quam plurimos, nulla pol-
lentes facultate secandi vindictam justissimam, fran-
gentur ut *vasa iræ*, suo ipsorum arbitrio *apparata ad
interitum*. Rom. IX, 22. Cæterum, si Deus *notas faciet
divitias gloriæ suæ super vasa misericordiæ, quæ præparavit
ipse ad gloriam* v. 23. totam quippe fidelium universita-
tem; quæ & quanta manebunt præmia universitatem,
ex iis selectam, illorum, qui reliquos docere, & duce-
re, & juvare valuerint ex justo Spiritus S. præsidio!
Quo quidem ut per angustam pœnitentiæ portam at-
que viam & potiamini, & tueamini in vobismet ipsis
angelicum supra dictum decus Universitatis Academi-
cæ, vos etiam atque etiam rogitamini a nobis, nosque
Deum pro vobis orare haud desistemus ullo tempore.

P. P. in Univ. Frider. ipsis Fer. Pentecostal.
a. MDCCIX.

Litteris Joh. Christiani Zahnii, Academ. Typogr.



V. 18

